

# **Nomothésiae ecclesiae Christianae ex certis principiis deductae & modeste vindicatae sectio quarta critica : examinans principia patrum, imperatorum & modestiorum heterodoxorum**

Autor(en): [s.n.]

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - (1748)

Heft 12

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394633>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.



NOMOTHESIÆ  
ECCLESIAE CHRISTIANÆ

ex certis Principiis deductæ  
& modeste vindicatæ

SECTIO QUARTA

Critica: examinans

Principia Patrum, Imperatorum & modestiorum  
Heterodoxorum.

§. I.

*F*ida & omni receptione digna idea Nomothesiæ Christianæ illa est, qualem ipse Servator in Sacris Literis reliquit., uti illam Auctor disert., cum quo nobis res est, primo sistit p. 58. quæque in antecedentibus pluribus, variis & solidis Argumentis probata est.

II. Idem Auctor statim subjicit: Habes hic præterea ideam [Nomothesiæ Christianæ] qualem nascentis Ecclesiæ Patres, qualem Augustiss. Imperatores, Reges  
Tom. III. li ac

*ac Principes omnium fere ætatum nobis adumbratam reliquere; Ideam qualem ipsi Heterodoxi modestiores hodieque tuentur, qui adversarios Machiavellismi accusant. De posterioribus his ideis longe aliter judicandum ac de prima.*

III. *Hæc, quæ est Auctoritas Dei, Filii Dei, in Sacris loquentis, præscribentis credenda, agenda, colenda, speranda, regimen Ecclesiæ, sola Ecclesiam in conscientia obligat, & est fundamentum ac norma omnis Nomothesiæ, qualiscunque illa. Omnis alia proprio fundamento caret & tum demum recte se habet, quando in omnibus convenit cum normali illa, nec quidquam contrarium continet. Fluit ex Sectione II. ubi ceterum falsum principium Nomothesiæ Christianæ probabatur, ratio, auctoritas humana sive paterna sive politica sive ecclesiastica, etiam historica superiorum sæculorum. Quæ vera, bona, tradit Ecclesia vel præscribit politica, aut probant modestiores Heterodoxi, recipit cœtus fidelis, non ob meram auctoritatem humanam, sed divinam, argumentis se demonstrantem ad conscientiam 2. Cor. IV: 2. 1. Joh. II: 27. Verus fidelis cum civibus Samaritanis ait: Non amplius credo propter tuam narrationem, sed quia ipse novi Joh. IV: 42. Quod postulat liber status Ecclesiæ N. Testamenti Jer. XXXI: 33, 34. Minime tamen simpliciter rejicimus Res Religionis Christianæ, quas proponunt, inculcant Patres, imo Doctores cujuscunque sectæ, etiam Laici, multo magis Majestate regia illustres. Quin cum attentione legimus, examinamus; verum, bonum, prudens, quod se ad conscientiam commendat, retinemus a quocunque dictum. Unde nos non interdiciamus lectione Scripturæ, patrum, librorum, qui ab auctoribus*  
*varia-*



variarum religionum conscripti sunt, etiam eorum, qui nos ut Heterodoxos, Hæreticos (ut flosculi variant) acriter traducunt. Et quomodo possemus rectum ferre iudicium, si partes non adiuntur, libri non leguntur. Verum, bonum, prudens etiam in hoste laudandum, retinendum. Prudenter imitamur mercatores mundanos, qui aurum non ex religione æstimant, sed juxta lapidem Lydium & Lancem. Mercator Reformatus a Judæo accipit monetam probam, sed adulterinam non accipit a Reformato. Vera Religio non habet respectum personarum, sed veritatum, præceptorum a Deo revelatorum. Ex adverso si Patres, Imperatores & quicumque alii tradunt & inculcant, quæ contrariantur Nomothesiæ Christi, examine facto reprehendenda & rejicienda sunt. Falsum, malum, imprudens ob studium partium in patrono, propria Ecclesia, nunquam probandum. Hoc esset *bonum pro malo, malum pro bono, tenebras pro luce, lucem pro tenebris, amarum pro dulci, dulce pro amaro habere.* Jes. V: 10. idque contra conscientiam, solius auctoritatis humanæ gratia. Valet semper: *Deo magis obediendum, quam hominibus.* Accedit dissensus. Dissentiunt Patres a se invicem Augustinus ab Hieronymo, imo Augustinus ab Augustino, saltem sæpe, quod *Auctor disert.* non negabit. Dissentiunt Imperatores Augustissimi. Illi Arrianis favent. Unde *totus mundus fit Arrianus.* Hi non. Ipsi Augustissimi Imperatores dissentiunt a se. Quod hoc tempore graviter inculcarunt, alio graviter prohibent: dissentiunt recentiores Doctores inter se. Videatur *Azorius in institutionibus Moralibus.* Dissentit Ecclesia recentior a Patribus, Cypriano veluti, Tertulliano,



Origene. Cui credendum? Prudenter Optatus: *Nemo vobis credat. Nemo nobis. Omnes contentiosi sumus.* Etiam Augustinus contra Maximinum Arianum. *Nec ego Nicenum, nec Tu debes Arminien- se, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec Tu illius detineris. Scriptu- rarum auctoritatibus, non quarumcunque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Sed quid prudentia suadet inter tot disensus, antiquos, recentio- res, ecclesiasticos, politicos? R. Pro norma ha- benda est Nomothesia Christi. Omnis, quæ se- quente tempore introducta, comparanda cum pri- ma ceu archetypica norma & fundamento omni- um aliarum. Quæ cum hac vere convenit, pro- banda. Quæ vero dissentit, rejicienda. Funda- mentum capitum religionis, quod probamus, non est veneranda antiquitas: Non fulgor Maje- statis regię: Non titulus orthodoxiæ vel hetero- doxiæ. Si recentiores laici heterodoxi accedunt ad Nomothesiam Christi, reliqui non, tunc non solum illi præferendi, sed unice probandi, hi ve- ro rejiciendi sunt. Valet τὸ ἀπ' ἀρχῆς. Dices: Quis decidat? Unaquæque pars clamat Nomothe- siam, quam observat convenire cum Nomothesia Christi. R. Ita est. Studiosi partium, qui in verba doctorum Ecclesiæ jurant, nunquam per- venient ad veritatem christianam. Amant cœci- tatem, velamina mentibus suis imposita. Pru- denter tales in cœcitate relinquimus; donec Deus veritatem revelabit. Decisio circa leges majoris momenti valde facilis est. v. gr. Quæritur: An sa- cra Cœna sub utraque specie ita sit adminis- tranda, ut omnibus convivis porrigendus sit panis  
 cum

cum vino? Decisio ex Nomothesia Christi facillima. Hic communionem instituit sub utraque specie. Primi Christiani, Apostoli, Corinthii panem non solum acceperant, sed & vinum. Marc. XIV: 23. I. Cor. XI: 25, 26, 28. Patres nascentis Ecclesiæ sine dubio omnibus dignis convivis dederant panem & vinum. Qui dignus, ut accipiat panem, etiam dignus, ut accipiat vinum. Augustissimi Imperatores steterant pro hac Nomothesia clarissime conveniente cum Nomothesia Christi, ut Historia docet: Heterodoxi, ut nominantur, eamdem Nomothesiam fervide probant. Quando vero in Ecclesia Christiana dantur constitutiones, ordinationes in dogmatibus, cultu, modo Ecclesiam colligendi, disciplina Ecclesiastica, quæ neque clare in Nomothesia Christi fundata, neque etiam ei contrariantur, imo cum ea stare queant, liberæ cuique cœtui, & aliquando membris sunt reliquendæ. Ratio. Summus, unicus Legislator, Rex, Dominus non præcepit, non etiam prohibuit. E. Liberum reliquit. Quod vero liberum ea voluntate unicus Domini, a servis ejus & fratribus, tanquam lex necessaria ferri, cum auctoritate vel pœna cœtui aut membris imponi nequit. Talia libera plura: ut cœlibatus ecclesiasticorum, vota, monasteria & quæ similia, Qui donum continentia habent pastores, qui judicant se cœtui rectius in cœlibatu præesse posse; Qui certis ex causis moti se votis alligant ad hoc vel illud liberum intermittendum, agendum; Qui societatem sacram libere cum aliis ineunt, non agunt contra Nomothesiam Christi. Nam Dominus Jesus Christus hæc vel similia non prohibuit, in potestate nostra reliquit. De talibus liberis tenendum, quod fundamentalia non sint. Hæc



constituta a Domino, tum dogmatica, tum moralia, tum quæ cultum concernunt; nunquam contrariari queunt Nomothesiæ Christi. Illa libera relinquenda sunt, tum quando nuncupantur, tum quando tolluntur. Adit veluti Petrus libere societatem, relinquit eandem liber, ita tamen, ut societatem jure non lædat nec offendat. Libera illa poscuntur in potestate, veluti voventis, sancta, justa, æqua, possibilia. Abesse debet omnis opinio meriti, hypocrisis, contemptus, damnum proximi. Libera suscipiuntur præstantur gravibus ex rationibus prudenter, ad gloriam Dei, ædificationem proximi ac propriam salutem.

IV. *Argumenta, quæ auctor disfert. in contrarium ex Sacris profert, a detorsionibus vindicanda & ex verbis, nexu, scopo, locis parallelis, analogia fidei scripturaria ita exponenda sunt, ut clarissime constet, nullum iis inesse robur pro Nomothesia Hierarchica, speciatim Romana, quin fortiter confirmare Nomothesium Religionis Christianæ supra propositam ac deductam. In genere probe notandum est, non esse quæstionem: An Religio Christiana superstructa sit legibus, speciatim etiam gravibus contra turbatores in fide, vita, cultu, quod generatim maxime probamus; sed quæstio est: An loca Scripturæ, quæ proferruntur, probent ideam Nomothesiæ Ecclesiasticæ systematis Hierarchici fundamentis innixam? quod pernegare debemus. Audiamus auctorem p. 41. Falsitas Dogmatum Hierarchiæ oppositorum clarius non relucet, quam examinata ad sacras literas, fontes veritatis. Datur jurisdictio exterior seu potestas LL sancienti in Ecclesia. Si, qui Ecclesiam non audierit, vitari perinde debeat atque Ethnicus & Publicanus Matth.*

XVIII:

XVIII: 17. Paucis interpositis: *Qui non obedit Ecclesiae (Synagogae, si ita velis & a fortiori Ecclesiae Christi) impius est ac sceleratus, periure atque ethnici & publicani. Itaque necessitati obediendi, quam Christus diserte hic asserit, respondet in Ecclesia potestas praecipienda. Id quod satis est ad rem nostram.* R. Optime provocas ad Sacras Literas, fontes veritatis, quod singulariter aestimamus. Videamus, cui parti faveant, observato tamen aequissimo canone jurisconsultorum: Particulam legis non esse citandam absque nexu cum lege. tum videamus integram legem Matth. XVIII: 15-21. Summus Ecclesiae Dominus disciplinam proponit graduatam; primo inter accusantem & accusatum. Dein tres quatuorve alios; tandem inter accusatum & Ecclesiam. Unde sequitur disciplinam penes paucos, penes plures, penes Ecclesiam; Imo quod praeprius notandum, non private penes Clerum, multo minus caput ejus visibile, exclusis, ut hodie loquuntur, Laicis. Fratri in fratrem jus hoc confertur. Dic Ecclesiae. Certissime Ecclesiam ex omni statu constantem notat. Vel ostendatur unus locus Ecclesiam restringens ad Clerum & quod majus est, ejus caput.

Ecclesia potestatem habet immorigeros puniendi, quod ex loco clarum: *Sit tibi ut Ethnicus & publicanus.* Sed an haec poena vult: Immorigerum carceri include; Bonis priva, torque illum; Combure eum &c. Certe non. Ethnici & publicani manserant in vita, protectione & libertate civili fruebantur. Vixerant aliquando in dignitatibus mundanis. Non tamen membra Ecclesiae habebantur. Quoniam enim Ecclesiae immorigeri erant,



ab ea excludebantur. Pergit Summus Dominus docere hujus Ecclesiæ summam auctoritatem. Constitutiones ejus, quæ in terris fiunt, ratæ habentur in cælo. *Amen dico Vobis: Quæcumque ligabitis &c.* v. 18. Eminentissima auctoritas! Quæ tamen hodie contemni solet. Surgit Dominus in institutione sua & porro docet: Non solum judicium totius Ecclesiæ tantum valere apud Deum, sed etiam preces duorum tantum & quidem *πρωτὸς πρὸς μόνον*, non solum in casu præcedente, sed in quolibet alio: *Quodcumque petent a Patre cælesti, id obtinget* v. 19. Si Ecclesia non convenire posset vel nollet, privilegium, quod Ecclesiæ promittitur, applicatur ad duos. Fundamentum est. *Etenim ubi duo aut tres conveniunt in nomen meum, ibi sum in medio eorum.* v. 20. Non mirum, quæ constituuntur ab Ecclesia in terra: quæ petuntur a duobus in terra, in cælis cognosci, rata haberi. Nam in medio eorum est Summus Dominus, Dominus cæli non abest ab Ecclesia, a fidelibus, proxime adest tanquam Præses. Qui adest, vicario non indiget. Ecclesiæ; vel etiam *duo conveniunt in nomen Christi*, non vero in nomen humanum, ecclesiasticum, civile, sed in nomen Filii Dei, quem præsentem in fide habent, colunt, dependent a spiritu, legibus, regimine ejus. Si convenirent in aliud nomen; si secundum proprias leges judicarent, certe definitiones, preces tales non exaudirentur, ratificarentur.

Qualem Dominus Ecclesiæ hic reliquit disciplinam, talem veneramus, probamus, cum Vitringa, quem *Auctor disert.* p. 47. allegat, persuasimus, talem disciplinam cæterum christianum plurimum  
nitori

*nitori suo restituere.* Extendimus hanc disciplinam ad omnes casus, similes, graviores, leviores, qui in Ecclesia eveniunt, dogmaticos quoque, morales, qui cultum, modum membra colligendi concernunt. Non vero restringimus ad eum solum, qui memoratur Cap. citato. Id quod concludimus ex rei natura, speciatim verbis *ὅσα ἐὰν δέσῃτε* quaecunque ligaveritis, de omni re v. 18. 19. Certe mirum legem hanc citari pro regimine hierarchico, quod cum illa stare nequit, imo quod prorsus hac lege subruitur. Summus Dominus extendit regimen Ecclesiae ad fratres, ad totam Ecclesiam, constantem ex omnibus fidelibus horumque statibus. Sapienter Cleri non meminit praevidens hujus ambitionem corruptis Ecclesiae temporibus. Dat dein Ecclesiae potestatem immorigeros ex cœtu excludendi: *Sit tibi ut ethnicus & publicanus.* Non vero: *Spolia protectione civili, honoribus, dignitatibus in mundo, multo minus vita priva.* Hæc alienissima a Spiritu Christi Luc. IX: 54. 55. Dat præterea Ecclesiae promissionem, quæ solvit vel ligat in terra rata habentur in cœlis. Promittit denique etiam duobus vel tribus, sed precantibus, armis militiæ spiritualibus pugnantibus, gratiosam exauditionem omnium Precum, subjecta certioratione sumpta a sua præsentia, non solum in medio numerosæ Ecclesiae, sed & duorum vel trium fidelium. Hæc tolluntur a regimine hierarchico ceu quod excludit statum civilem & domesticum. Laici, non solum gregarii piscatores similesque, quos liberrimus Deus sæpius larga mensura Spiritus S. perfundit, inidonei habentur ad res religionis, dogmatum, spirituales cognoscendum, sed & in eminentia civili constituti. Hier-



archicum regimen restringitur ad Episcopos, Presbyteros, ministros, imo sæpius ad solum Pontificem. Qua fronte verba summi Domini: *Dic Ecclesiæ torquentur: dic Pontifici: dic regimini hierarchico?* Pœna immorigerorum est hæc; Excludere ex Ecclesia; Ethnicos, Publicanos habere. Ubi mandatum incarcerationandi; spoliandi bonis, comburendi &c. Totius Ecclesiæ solutiones, ligationes vel ut in Johanne C. XX. legimus, remissiones peccatorum, eorumque detentiones, quæ fiunt in terris in nomine Christi in cœlis confirmantur. At hierarchia gloriam Ecclesiæ communem sibi appropriat cum exclusione maximæ partis, quæ Ecclesiam constituit. Multo minus rationem habet duorum triumve, quorum tamen preces ad Patrem factæ omni in casu exaudiuntur: Regimen hierarchicum, speciatim pontificiale, hac ex causa excogitatum quod requiratur regimen visibile, caput visibile, absente capite invisibili. Quantopere hæc adversantur verbis Christi gloriosis & solatio plenis. *Ubi duo aut tres conveniunt in nomen meum, ibi sum in medio eorum.* An verba hæc vera sunt vel non? Quis audet veritatem verborum negare? Ergo ubi Ecclesia Christi in nomen ejus convenit sive in Europa, sive Asia &c. imo ubi duo aut tres conveniunt in nomen ejus, in horum medio est. Videt, audit, cognoscit, dirigit, decidit, exequitur, quæ ab Ecclesia, imo a duobus aut tribus, proponuntur, petuntur, aguntur. Cui usui caput humanum visibile, varie infirmum, certo loco circumscriptum, præsentem capite divino, consummato, omnipræsente, omnipotente? An tale caput pro divino præsentem Ecclesiæ magis prospicit?

Quæ

Quæ *Auctor* admiscet loco Matth. XVIII: p. 41. 42. ex dictis facile intelliguntur, refutanturque. Ex his primum: *Datur jurisdictio sacra exterior seu potestas LL. sancienti in Ecclesia.* Si qui Ecclesiam non audierit vitari perinde debeat atque ethnicus & publicanus. *R.* Quæ consequentia! Si hæc consequentia valeret, sequeretur quoque. *E.* Quilibet frater, duo terque fratres habent potestatem leges ferendi. Eadem phrasis occurrit. *Si te non audierit v. 17.* Dein summus Dominus præcipit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam publicanus & ethnicus v. 17.* non dat potestatem leges sancienti, sed legem, quam ipse tulit, exequendi. *Sit tibi tanquam Ethnicus &c.* Insuper hæc dicta sunt ad Ecclesiam, non ad regimen hierarchicum vel pontificem Romanum.

Alterum: *Jurisdictio sacra sine pœnis canonicis languet ac sine Neruo est.* *E.* *Usus pœnarum canonicarum in Ecclesia necessarius est.* *R.* Usus pœnarum in Ecclesia Christiana necessarius est, quod in genere conceditur. Poscunt enim Sacræ Literæ. Poscit natura rei. Societas sacra absque pœnis consistere nequit. Sed non sequitur. *E.* Necessarius est usus pœnarum canonicarum. Pœnæ canonicæ primis Seculis haud erant, nec esse poterant, jurisdictione externa penes Romanos existente. Vel an primitiva Ecclesia immorigeros carceribus incluserat, opibus, dignitatibus, patria, imo vita privaverat? Dein pœnæ canonicæ sunt hujus seculi, brachii humani. Si Ecclesia Romana ligat, ligatio nihil valet, magistratu civili nolente, potius resistente. Immorigeri cœlum non timent, sed terram, non Ecclesiam, sed mundum. Pœnæ canonicæ



nicæ tum demum terrent, si a potentia terrestri vim terrendi accipiunt. Mundani, hypocritæ facillime has pœnas evitant simulando, cultu hypocritico, quem animus damnat. At aliter compararum cum pœnis veræ Ecclesiæ Christianæ, ligationes quæ in Ecclesia fiunt ratæ habentur a Deo in cœlo. Filius Dei, Dominus omnipræsens, omnipotens gravissime animadvertit in immorigeros, hypocritas Apoc. III: 19. Satanas, omnes pœnæ, speciatim spirituales sunt in manu ejus. I. Cor. V: 3 - 6. Perdit non solum corpora, sed & animas in gehenna Matth. X: 28. Tales pœnæ non solum Ecclesiam pavore replent, sed & alios quosvis, qui de iis audiunt Act. V: 11. Quanta vis harum pœnarum in primis seculis! Primi Christiani plus reveriti erant gladium spiritus, oris, quam Magistratus. Disciplinæ Ecclesiasticæ subjecti lachrymis fuis gratiam Ecclesiæ, [*plorantes hinc dicti*] expetierant.

*Tertium:* Quæ *Auctor* habet de variis explicationibus solvendi, ligandi inter Protestantes, *Thomasianos, Puffendorianos*, ad cardinem quæstionis nihil faciunt: Supra allata clare in lege Matth. XVIII: exstant. Catholici non habent, quod protestantibus disensus exprobrent. Si e re esset, facile Catholici dissentientes multo numero allegari possent. Nunquam audivi *Thomasianos, Puffendorianos* ab Ecclesia protestante genuinos iudices hoc in Themate agnosci. Sanctiora principia in Scriptura reperimus ac veneramus.

Secundum argumentum ex sacris pro potestate Ecclesiastica leges sancienti *Auctor disert.* p. 43. profert

profert verbis Pauli: *Quid vultis? In Virga veniam ad vos? An in charitate?* 1. Cor. IV: 21. Insistamus iisdem vestigiis & verba Pauli in nexu sumamus. Apostolus rem habet cum quibusdam Corinthiis non recte ambulantis, quos itaque, tanquam pater, dehortatur v. 14, 15. Graviter hinc significat se ad illos venturum & experimento cogniturum, non sermonem inflatorum, qui prætumidi multa loquuntur, gloriantur, defendunt, an facundi, disertis sint; sed δύναμις, quod reale est, quod potentiam continet, exierit, addita ratione v. 20. *Non enim consistit regnum Dei in sermone, sed in potentia.* Verba minime sufficiunt. Rei virtus poscitur. Hinc quærit: *An ad vos veniam ἐν πάθει cum virga? An in charitate & spiritu mansuetudinis? Quid intelligendum per virgam?* An virga, lictores, carnifices, gladios, rogos notat? Certe non. Externa ejusmodi secularis virga in regno Dei incognita, inusitata. Notorium est, Paulum, reliquos quoque ministros Jesu Christi, omni potestate seculari destitutos fuisse, naturam regni Dei tales pœnas renuere. Virga optime dignoscitur ex opposito, *in charitate, in spiritu mansuetudinis.* E. Virga notat potestatem spiritualem. Spiritum fervoris contra illos, qui turbant, inficiunt Ecclesiam Dei, eique nocent. Quæ vero virga, vario modo infligitur, ut docent acta. Quod clarius ex sequente capite elucebit.

Tertium ex 1. Cor. V: 3. *Jam judicavi eum, qui sic operatus est, tradere Satanæ in interitum carnis* p. cit. 43. R. Auctor in citatione hujus loci plura omittit, quæ lucem adferunt docentque nihil minus hoc loco probari, quam regimen Ecclesiæ Romanam



manum vel Nomothesium Ecclesiæ Romanam qualis nunc est. Verba hæc sunt. *Annon potius luxistis, ut tolleretur e medio, qui tale facinus patravit. Nam ego quidem ut absens corpore, verum præsens spiritu jam judicavi tanquam præsens illum, qui hoc ita patravit, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu cum potentia Domini nostri Jesu Christi talem tradere Satanae ad interitum carnis, ut spiritus salvetur in die Domini Jesu.* Constat ergo quam clarissime, potestatem hanc esse spirituales, ceu testandam non solum in nomine Domini nostri Jesu Christi, sed et cum potentia Domini nostri Jesu Christi; Testandam dein ἐν πνεύματι, in spiritu, Pauli absentis, præsentis cœtu. Lictor, carnifex h. l. est Satan. Quid hic locus commune habet cum disciplina Ecclesiæ Romanæ, potestate inquisitorum, quæ excludit cœtum ab exercitio disciplinæ, quæ exeritur brachio carnali, cujus robur in regno humano, cui lictores, milites, adsunt sententiam horribilem executuri? Ubi nulla potestas in spiritu, in precibus. Si deessent lictores, carnifices, milites, nihil quicquam valerent. Ludibrio esset omnis eorum potestas. Nulla fiducia in Deum, in Dominum Jesum Christum. Sed in carnem. Apostolus Paulus minime cogitavit lædere corpus incestuosi vel privare eum bonis & vita. Hoc solum a Corinthiis poposcerat, ut communionem cum illo nullam haberent, ne quidem una comederent, ejicerent ex cœtu & tractarent, tanquam Ethnicum v. 9. **N. 13.**

Quartum: ex 2. Cor. XIII: 2. *Cum venero, non parcam.* R. Quid tum? An ergo hinc sequitur Nomothesia Ecclesiæ Romanæ? An hinc sequitur plus-

plusquam Tyrannicum Inquisitionis Officium? Quadrat in certo sensu. Nam hoc officium *non parcat*, crudelissimum enim quod fingi potest. Sed nihil minus intelligit quam tale *non parcere*: vel lege versus 3, 4. qui proxime sequuntur vulgato ita vertente: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus. Qui in vobis non infirmatur sed potens est in vobis. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate sed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in illo; Sed vivemus cum illo ex virtute Dei in vobis.* Agit locus de disciplina Ecclesiastica Apostolica, quæ exercebatur verbis, spiritu oris per potentiam Jesu Christi. Habes exemplum Act. XIII: 9, 12. Quæ nunc convenientia cum pœnis per lictores, carnifices, milites? Si inquisitores Jesum Christum a partibus suis haberent & per ejus potentiam spirituales contra immorigeros agerent, tum hic & consimilia loca recte citarentur. Aliàs quælibet cæca, carnaliter fervida, potens religio *non parcat*, ut Ethnica, Turcica &c.

Quintum, quod pro Hierarchia Ecclesiastica citatur p. 43. exstat ad Tit. II: 15. *Argue cum omni imperio.* Sed qua vi? Quo argumento hinc evincitur hierarchia Ecclesiastica, speciatim Romana? Nemo negat, saltem jure negare potest, ministrum Dei inculcantem Doctrinam Jesu Christi *cum auctoritate* hoc officio defungi, contradicentes ἐλέγχειν *convincere* ac in nomine Jesu Christi immorigeris, cursum Evangelii impredientibus in nomine Jesu Christi iram Numinis valde imprecari. Talem auctoritatem testaturus habet non solum ἐπίστασιν Ecclesiæ, sed ipsius Dei I. Cor. VII: 23. quod certe efficax est Matth. XVIII. imperium munda-

num,



num, carnale, politicum intelligi nullatenus potest. Exulat enim in regno Dei. *Bonus Titus* Magistratui subjectus quomodo *cum imperio mundano* contradicentes redarguere potuisset. Imo ne quidem elenchum egisset: ἐλέγχε *convince*; Vis enim & potentia externa non ἐλέγχει *convincit*, sed cogit, obtundit, obdurat.

Sextum, quod huc trahitur p. cit. exstat Hebr. XIII: 17. *Obedite prepositis & subjacete eis*. Auctor probat verba hæc non esse detorquenda ad principes politicos. Pfaffium castigat notantem *subjacete* seu ὑπείκειν non esse accipiendum *in sensu tam crasso & pingui*. R. Neminem novi ex Protestantibus, qui verba hæc detorqueat ad Principes politicos. Quotquot novi, omnes nostrates affirmant agi hoc loco de officiis auditorum erga Pastores. Horum est præire (dicuntur enim ἡγέμενοι) gregem antecedere, regere. Gregis vero est Pastorem sequi, ei in Domino doctrinam Evangelicam proponenti, instituenti, hortanti ob persuasoria Evangelica fidem habere [quod vox græca πείθεσθε vult] Hujus quoque ὑπείκειν *cedere* humili animo, non vero se opponere debet, nec erga eum durum, obstinatum esse. Quid vero inde? An sequitur omnibus Episcopis, qui se cœtibus obtrudunt aut obtruduntur, cœce esse credendum? [Tales nulla proferunt persuasoria Evangelica, nec vigilant pro animabus]. An sequitur pœnis severissimis in immorigeros, aliquando qui tantum tales habentur, esse animadvertendum? Qua consequentia? Sane si patres hoc ex loco talia consecraria formarunt, graviter errarunt & detorserunt verba Apostoli. Non mirum Thomassium, Puffendorffium, consimiles,

miles, si legunt ex his & similibus locis hierarchiam Romanam, pœnas gravissimas, externas, carnales, civiles, mundanas, horribiles ab Ecclesia animadvertendas probari, ob talia argumenta sapienter ridere?

V. *Destructis argumentis, quæ AUCTOR citavit pro hierarchia ecclesiastica, adstruemus paucis testimonia, quæ Protestantes allegant contra hierarchiam hanc, quæque AUCTOR DISSERT. enervare contendit. Ex his a. Achillem & robur sententiæ suæ collocat Pfaffius in illo Luc. XXII: 24. Reges gentium dominantur - - Vos autem non sic. Ergo ab Ecclesia exulat omnis superioritas, coactio, dominium. Ita Pfaffius art. 3. C. I. Addamus & illud, ait Auctor noster: Sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. Clarum est itaque, non excludi ab Ecclesia majoritatem, præcedendi honorem &c. sed fastum despoticum, cum omnino Christus velit Ecclesiæ præpositos modesta uti auctoritate ac Jurisdictione sacra v. p. 43. R. Si Achilleum haud est hoc testimonium, certe robustum. Opponuntur enim reges gentium & Ministri Ecclesiæ. Reges gentium *κυριεύουσι* dominantur (gentibus), vos vero non sic. Quod ergo penes Reges, hoc non penes Ministros Evangelii: Ratio oppositionis postulat. Penes reges vero est dominium, legumlatio, coactio externa sub gravi civili pœna ad obediendum. Ergo vi oppositionis penes ministros non datur dominium regum, potestas leges sancienti, auctoritative & brachio seculari cogendi ad obsequium, ad modum mundi in renitentes animadvertendi. Vos non ita. Aliàs Dominus summus dixisset: *Et vos ita.* Simpliciter denegat Dominium in Ecclesiam, non solum Jacobo, Johanni primas petentibus, sed &*



reliquis sine ulla exceptione. Si vero Petrus privilegium aliquod ex mente Domini possidere debuisset, sine dubio fuisset ejus quædam subjecta mentio. Auctor putat sibi robur esse pro hierarchia Romana in verbis; *qui major, qui præcessor*. Ingens discrimen inter Dominum, Regem & inter *majorem, præcessorem*. Qui *major* aliis, *præcessor*, non est *Dominator, Rex* multo minus, si *major* se gerit tanquam *νεώτερος junior*, qui nequidem *Presbyter*, & si *præcessor* se vere Diaconum sinit. Tales *majores, præcessores* modestos, in Spiritu Christi incedentes in Ecclesia Christiana agnoscimus, honoramus. Sed non vere dominos, reges, qui proprias leges dant, controversias auctoritative decidunt, regum more dominantur, cogunt, aliter judicantes varie puniunt vel etiam vita privant.

β. Alterum 1. Petr. II: 9. De quo *AUCTOR DISSERT: p. 44. Triumphant alii in hoc textu D. Petri, ubi universis Christianis dicitur! Vos autem genus electum, regale sacerdotium &c. Itaque sacerdotium est omnibus fidelibus commune. R. Dignum est hoc testimonium, ut quemlibet veritatis avidum convincamus, nostram, quam defendimus, Nomothesium triumphare, vinci vero hypothesein Nomothesiæ hierarchiæ Romanæ. Apostolus gregarios Christianos felices & gloriosos prædicans, hoc quoque argumento utitur: Vos estis regale sacerdotium. Certum est non compellari Episcopos, Clericos, ut hodie loquuntur, sed sic dictos Laicos, communes Christianos saltem includi. Hos nunc laudat, tanquam *regale sacerdotium*, qui simul reges & sacerdotes. Apostolus non ludit in verbis. Æstimamus Petrum tanquam virum gravem, veracem.*

racem. Vere attribuit illis *dignitatem regiam & sacerdotalem*, genuinos & reges & sacerdotes esse cum jure duplici hoc munere defungendi. Si vero Christiani non sunt illusorii, phantastici *reges & sacerdotes*, necesse est, ut habeant dignitatem regiam & sacerdotalem. Quæritur ergo: In quo consistat dignitas eorum regia & sacerdotalis? Si Reges sunt, jus regnandi habent. Licitum illis hoc suo jure uti. Certe non intelligit reges hujus mundi. Unde iis non competit regnum mundanum. Ipse Apostolus infra v. 13-18 contrarium docet hortaturque, ut Christiani regem mundanum cum omni subjectione honorent. Sunt tamen reges. Quodnam ergo eorum regnum? spirituale, cœleste. Dominantur in hostes Christi, Satanam, peccatum, mundum, carnem, rationem v. Rom. VI: 11-15. I. Joh. V: 4, 5. Gal. V: 16, 17. 2. Cor. X: 4, 5. Eph. VI: 10-14. Sunt constituti reges æterni a Jesu Christo, sanguine suo. Apoc. I: 6. V: 10. XXII: 5. Sunt simul sacerdotes. Sed quales? Non *Aaronici*, sed his longe superiores. Offerunt re vera, sed non bestias, verum victimas spirituales acceptas Deo per Jesum Christum v. supra v. 5. conf. Rom. XII: 1. Dein ceu sacerdotes spirituales divites sunt in omni doctrina & cognitione: hinc fratres instituendi, hortandi, dehortandi, consulendi jus habent & recte eo utuntur, non quidem, ut publici Doctores, sed privati, virtute sacerdotii christianis communis. Vel quare non? Omnes veri Christiani Spiritum Christi habent, ab eo moventur, illuminantur, impelluntur ad testandum Rom. VIII: 9. Deum, Jesum Christum, ejus beneficia, imo omnia necessaria norunt I. Joh. II: 27. experti sunt. An ergo Spiritum Dei,



extinguere debent contra interdictum Pauli? **I.** Theff. V: 23. Ipse Petrus statim explicat sacerdotium sub *ENARRARE VIRTUTES EJUS qui eos vocavit a Tenebris ad admirabilem lucem.* Annon habemus materiam triumphandi hoc in textu Petri-  
no? Annon argumentum validum est? Apostolus docet sacerdotium [imo etiam regnum] omnibus fidelibus commune. **E.** Omnes fideles sunt sacerdotes & reges. Omnes adeoque munere sacerdotali & regio defunguntur. Dominante hierarchia Romana nulla species, umbra nulla in fidelibus laicis. Potestatem liberam sacra cognoscendi, cum aliis decidendi nullam prorsus habent. Dignitas eorum est simpliciter, dependere ab Episcopis, vel etiam sola auctoritate pontificali, cœce credere. Unde non mirum auctorem p. 45. cœlestem verorum fidelium dignitatem in pulverem abjicere sequente glossa umbris macilentiore: *Nonne ex ipso contextu patet, Christum lapidem a Synagoga reprobatum, sed nunc factum in caput anguli in Ecclesiam suam tanquam populum acquisitionis transtulisse regale sacerdotium. Synagoga jam exspirante. Perinde ac si Germanis dicas: Vos estis imperium Romanum &c.*  
**R.** O misera dignitas & felicitas fidelium Christianorum? Fideles beati gloriosi, prædicantur tanquam veri sacerdotes & reges. Sed non participant de his dignitatibus. Sunt *laici* subjecti, mancipia cleri. Ipsi sacra scrutandi, dijudicandi, discernendi, virtutes Dei, qui illos ex tenebris ad admirabilem lucem vocavit, enarrandi veram licentiam & libertatem non habent. Aptissima similitudo? *Vos Germani, servi, pauperculi, censibus onusti, ad omnem servitutem damnati estis imperium Romanum &c. Omnino licet percontari* (ita quærit

quærit auctor p. 44, 45.) quomodo locus parallelus Exod. XIX: 6. *explicandus, ubi omnibus Israëlitis sine discrimine dicitur: ET VOS ERITIS MIHI IN REGNUM SACERDOTALE, ET GENS SANCTA.* An omnes Israëlita Sacerdotes in V. Testamento? Nullumne discrimen in V. T. Sacerdotes inter & populum. R. Sed & licebit ex aduerso percontari, quid tum? An ex verbis his hierarchia Romana robur accipit? Non video. Commode respondemus verbis auctoris p. 41. *Negamus omnem inter synagogam & Evangelium paritatem certe utroque pede claudicantem. Utimur phrasi ipsorum aduersariorum, quam ad fastidium repetunt: ECCLESIA CHRISTI NON JUDAIZAT.* E. non sequitur: sub V. Testamento erat discrimen sacerdotes inter & populum. Per consequens etiam in N. Testamento. Ubi Clerus solus constat ex sacerdotibus. Laici prorsus non sacerdotes. Quod asertum aduersatur locis supra dictis. Omnes vero fideles sunt sacerdotes, licet non publici præcones Evangelii. Licet insuper percontari: An verba: *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale,* hunc sensum poscant, sacerdotes Aaronicos etiam reges esse? Hæc enim conjunguntur. At subsequens historia contrarium probat. Sacerdotes non erant reges. Ergo qui sub N. Testamento amant haberi private *Sacerdotes*, vi hujus loci non sunt *Reges*, Domini, hierarchia Romana vero his sacerdotibus eminentissimum, terribile dominium attribuit. Attamen verba apud Mosem Exod. XIX: 6. vera sunt. Non quidem sensu crasso, externo, literali. Sed sensu spirituali, interno, quo peculium Dei constabit ex sacerdotibus, regibus spiritualibus; Qui ipsissimus sensu-



testimonii Petrini. Probe ita conveniunt Moses & Petrus.

γ. Tertium, quod quoque Petrinum 1. Pet. V: *Apostolus scribit senioribus* [rectius retinemus verbum Petri: **CONSENIORIBUS**]. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei - - - non ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo. Subnectit Pfaffius. Certum itaque jam sit, directoribus cœtuum nullum competere dominium. Ita scribit auctor disert p. 44. R. Testimonium hoc jam supra Sect. II. §. X. expositum est. Pauca addo. Consequentia Cel. Pfaffii valida est. Petrus hortatur non ut dominantes in Cleris. Ergo directoribus cœtuum nullum competit dominium. Nam qui non dominari debet, ei dominium non competit. Latet ἔμφασις in voce κληῆρος Sors Jesu Christi. Bonus Petrus nihil noverat de hodierna grassante distinctione inter Clericos & Laicos. Ipse Laicos Clerum **die Clerisem** vocat & ita fortius dehortatur a dominio. Auctor excipit p. 45. dicitque *verba intelligenda esse de abusu dominii. R. Non. Petrus prohibet ipsum dominium ministrorum, ut Vulgatus quosque habet. E. Dominium Ecclesie ad Filium Dei restringitur. Nihil probat locus Pauli 2. Cor. XIII: 10. Hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem. Paulus sibi non tribuit dominium [de quo quæstio] sed potestatem, quam agnosco, veneror, verum ministerialem, spiritualem, dependentem a Domino Jesu Christo qualem Apostolus proponit, quam DOMINUS MIHI DEDIT, qualem quoque una cum cœtu exercuit 1. Cor. V: 3, 4, 5. Non vero dedit summam, despoticam, independentem, mundanam, carnalem.**

VI. Se-

VI. *Sectioni huic criticae annumeramus gravem & auctori disert. pag. 15. 16. ingratiſſimam quaestionem: AN IN ECCLESIA ROMANA SCRIPTURA PERTINEAT AD MONOPOLIUM? R. Vox Monopolium sumta est a mercatura mundana. Si unus, duo vel pauci exclusis aliis civibus ex decreto & arbitrio summi magistratus jus & potestatem res hujus mundi emendi & vendendi habent. Transfertur commode ad alia quævis privilegia, paucis concessa; hinc ad ecclesiastica quæ paucis priva exclusione omnium aliorum. Jam specialissime quaeritur: *An in Ecclesia Romana Scriptura pertineat ad monopolium.* Responſio facilis. Si Dominus Ecclesiae, Filius Dei, decrevit, ut Scriptura a paucis, a præconibus Evangelii tantum legeretur. Interdictum de promiscua lectione Scripturae monopolium dici nequit. Effet privilegium divinum. Vel etiam si Ecclesia Romana permittit, ut omnes etiam laici, Scripturam legant, imputatum effet falsum. Unde Ecclesia Gallica, alii Catholici, Episcopi, Pastores, notione crassa, monopolii rei haud sunt, ceu qui promiscue permittunt lectionem Scripturae; versiones gallicas, germanicas, attamen ad interpretationem vulgatam formatas. Quando vero Dominus Ecclesiae licentiam & quod plus est, præceptum dedit de Scriptura ab omnibus Christianis legenda, tum Ecclesia Romana & qui cum ea judicant, vitiosi monopolii sunt rei, vel quod idem est, audent decretum formare contra decretum Filii Dei, propria auctoritate tollere, quod Christus, summus Dominus statuit, præcepit. Ecclesiam Romanam vero interdicerè promiscua Scripturae lectione docet *regula IV. indicis librorum prohibitorum ex Tridentina sanctione editi.* Corroborat praxis, si*



Ecclesiam Gallicam & paucos in Germania excipis: prius probatur. Ipse Dominus ad auditores suos promiscue dixit: *Scrutamini Scripturas*, non legite tantum, non audite tantum, sed *scrutamini*, in interiorum sensum penetrate. Joh. V: 39. Servi ejus pariter: Paulus ad laicos Coloss. III: 16. *Sermo Dei πλοσίως, diviter, in vobis habitet cum omni sapientia docentes & hortantes vos ipsos.* conf. I. Theff. V: 11. Rom. XIV: 8, 9. Imo quod plus est, *adjurat* Theffalonicenses, ut legatur Epistola *ab omnibus sanctis fratribus* I. Theff. V: 27. Vel quare non? Epistola, quæ scripta est a Deo ad totum cœtum, annon etiam legenda a toto cœtu? vel ubi interdixit Deus promiscua lectione? Petrus, quem Romani aliis Apostolis præferunt, laudat *laicos* probe attendentes ad sermonem propheticum, qui tamen historico, dogmatico, morali difficilior est, tanquam lucernam lucentem in loco caliginoso 2. Petr. I: 19. Non ergo obscurum habuerat vel periculosum, quo laici facile decipiantur. Quin crediderat Laicos ex lectione, meditatione Verbi divini penetraturos ad cognoscendum veritates evangelicas, ad dignoscendum ab erroribus. Etiamnum hic fructus verbi divini constans manet: Nec ratio dari potest præcepti hujus sublatis. Ratio non est, contrarium præceptum postea latum. Nec periculum seductionis in libro divino lecto a timentibus Deum. Annon sapientissimus, optimus, fidus Deus de articulis religionis sapienter, bene, fide informare valet & vult? Quis contrarium dicere audeat? Certe tale asseritum insurgeret contra Deum & perfectiones ejus. Auctor quidem objicit p. 16. *Obscurum haud est, opinor quantas in Ecclesia & Republica turbas concitaverint*

vint. *Sacræ Literæ ab imperitis lectæ, non intellectæ. Nescimus scil. sesquiseculo abhinc sutores, & sartores, imo & fœminas repente Apostolos & Apostolas provolasse in Cathedram Scripturam interpretatos, correptos reposuisse frigide illud Apostati: PUTO QUOD ET EGO SPIRITUM DEI HABEAM.* R. Abjectissime sentit auctor de laicis, sartoribus, sutoribus. Non ita Dominus Ecclesiæ Jesus Christus, qui non sacerdotes, non scribas ministros verbi divini elegit, sed piscatores, publicanos. Ejusdem spiritus cum auctore erant infideles Judæi ut extat Marc. VI: 2, 3. VII: 15. Act. IV: 13. Nullibi legi Dominum sequente tempore prædixisse sese laicis Spiritum suum non daturum. Contrarium constat ex Joële III: 1, 2. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, effundam super servos & ancillas.* Notanter scripsit Paulus. Deus non multos sapientes secundum carnem elegit, sed stultos in mundo, ut confunderet sapientes 1. Cor. I: 26, 27. Et sane si quis hominum status a lectione & meditatione verbi divini esset arcendus, certe Clericus. Historia Ecclesiastica, ut judico, longe plures & periculosiores recenset errores exortos a Clericis, quam a laicis. Si qui vero laici verbo divino abusi sunt, facile respondemus argumento, quod ipse auctor semel ac iterum dat. *Tollatur abusus & maneat usus.* Quare spoliandi sacerdotes spirituales sacerdotio suo, quod ipse Deus in eos contulit, ob turpes violatores hujus juris. Prudens *Informatorium Bibli-cum*, Deo benedicente multum faceret ad promiscuam lectionem Scripturæ cum ædificatione animarum.



Addit idem auctor p. 16. *Fallit & fallitur Puffendorfius putans Ecclesiam Romanam diffidere causæ suæ, prohibendo promiscuam Scripturæ lectionem, ne fraudes & errores detecti emanent in publicum. Non diffidimus, ait auctor causæ nostræ, sed fidei & candori vestro, ex quo enim sexcentæ prope versiones sacrarum Literarum sunt adornatæ, quæ neque inter se neque cum fontibus hebræis & græcis conciliari ulla ratione possunt, necesse fuit habito delectu versionem unam designare, quæ palmam ferret præ cæteris, quæ non a Crypto-Theologis in specu subterraneo procusa quintum orbi Christiano Evangelium inveheret, sed a S. S. patribus concinnata, ab Ecclesia & usu tot seculorum esset comprobata.* R. Quæ ergo ratio interdicti, si non diffidentia causæ? ratio gravissima subesse debet publice interdicare lectione Scripturæ, quæ verbum Dei, quæ a Deo ad totam Ecclesiam consignata est cum præcepto eam legendi, scrutandi &c. Auctor culpam conjicit in Ecclesiam Protestantem, ejusque sexcentas versiones, a se diversas & cum fontibus irreconciliabiles. Culpa hæc commentum est: Quare ergo Ecclesia Romana laicis interdicit lectione versionis vulgatæ? Quare non Theologos Catholicos in Eminentia constitutos constituit, qui Scripturam in linguas vernaculas convertant, sexcentas illas versiones corrigant? Certe laudabilem operam præstare posset auctor disert. qui præ sexcentis sociis ordinis sui linguas originales callet, quem propria docet conscientia versionis vulgatæ varios disensus a fontibus, Hebræis & Græcis. Liceat percontari, quando sexcentæ versiones causa constitutionis Ecclesiæ de una versione habito selectu designanda? An sexcentæ illæ versiones cusæ ante reformationem vel post? Si ante reformationem.

formationem, quid ad nos? Cuperem tamen vacivo tempore legere historiam centum versionum reformationem antecedentium mihi incredibilem. Si post, contentus essem videre *quinquaginta* vel *quadraginta*, vel etiam *triginta*, imo *viginti*, & quod minus *decem* tantum versiones ante consilium Tridentinum, quæ causa decreti de *una pro authentica* (*quam nemo sub quovis pretextu rejicere audeat vel præsumat*) *declaranda*. Et quod valde mirum! Concilium dictum versionem, quæ nondum fuit in rerum natura, quæ demum post XLVI annos lucem vidit, jam authenticam declaravit, nondum examinatum, imo nondum existentem. Lubentissime compromitto in conscientiam auctoris in linguis originalibus periti, annon versiones in Ecclesia protestante usitatæ majorem habeant convenientiam cum fontibus Hebræis & Græcis? Quod ipsum jus canonicum poscit. *decret. I. dist. IX. C. VI.* Bene novi compromissum in testimonium conscientiae minus esse usitatum. In foro poli tamen plurimum valet. Sapienter expectantur decisa cœlestia. Ipsum concilium vulgatæ ad fontes formandæ nullam habuit rationem, ceu quod statuit ex *omnibus latinis versionibus unam Authenticam esse faciendam*.

VII. Annumeramus quoque Criticis *Parallelum Synagogam inter & Ecclesiam Christianam* p. 36-41. Ubi Auctor pergraviter & etiam sarcastice *traducit Protestantes argumentis versatilibus utentes, jam argumenta ex synagoga vel V. Testamento contra Ecclesiam Christianam, jam pro illa, prout opinantur, a re sua esse.* R. Distinguendum. Quædam capita communia sunt Ecclesiæ V. & N. Testamenti, ut dogmatica,  
mora-



moralia. Recte hæc & alia conferuntur, illa ex his, hæc ex illis lucem & robur accipiunt & dant: quædam priva V. alia N. Testamento. *Illa*, ut ritus, circumcisio, sacrificia, ministerium Aaronicum speciatim tale, jugum sub ceremoniis servile c u umbræ Messiaë, bonorum N. Testamenti. Hæc, ut libertas fidelium sub N. Testamento a legibus humanis, ecclesiasticis, typicis circa sacra, saltem essentialiter spectata. v. Coloss. II: per totum caput. Confer quæ plenius supra *Sectione secunda & tertia* probata sunt. Quare argumentum non valet: a privis sub V. T. ad Oeconomiam N. Testamenti, vel a privis Oeconomiam N. Testamenti ad Oeconomiam V. Testamenti. Jugum erat sub V. Testamento Gal. V: 1-5. Act. XV: 10. quod non imponendum fidelibus sub N. Testamento. Tum nondum erat *regnum Dei, regnum cælorum* Marc. I: 15. quod hodie obtinet. Insuper datur in Ecclesia protestante consensus circa fundamentalia, essentialia, generalia; sed & datur disensus circa non fundamentalia, specialia, circumstantias, allusiones, antiquitates judaicas. Auctor itaque non habet causas exprobrandi disensum inter Reformatos, *Spanhemium & Wajenum, Vitringam & Rhenferdium*, ex quo tantam capit voluptatem. Conveniunt in illis, dissident circa hæc. Si disensu capitur, auctor essem, ut legat *Azorium in Instit. moralibus*, speciatim P. pr. l. v. *Job. Morinum Blesensem in Comment. de disciplina* fol. II. certe satiabit voluptatem suam. Si nostrates omnes pilos e barbis Rabbiorum veterum [ita false ridet] sollicitè collegerunt, nuperus Auctor Catholicus collectos magna & rara diligentia conquirit, nec ex barbis tantum, sed e capitibus *Blasius Ugalinus*, qui Vene-

tiis

tiis publicat *Theſaurum antiquitatum ſacrarum comple-  
 ſentem ſelectiſſima clariffimorum virorum opuſcula, in  
 quibus veterum Judæorum, mores, leges, inſtituta,  
 ritus ſacri & civiles illuſtrantur, conſtantem viginti quin-  
 que Tomis folii magni. Vide M. Friderici Wilhelmi  
 Kraſt Neue Theol. Bibliothec. p. 718. 722. ſed e di-  
 verticulo ad viam. Proteſtantes Theologi cum au-  
 ctore conveniunt, Nomotheſiam Chriſtianam talem  
 eſſe debere, qualem Chriſtus in S. Literis reliquit.  
 Si qui, ſpeciatiim politici diſſentirent, deſererent  
 principium proteſtantium in ſacris fundatiſſimum.  
 Unde cum auctore quam maxime improbamus  
 hanc eſſe indolem ſummi imperii, ut ſit conjunctum cum  
 jurisdictione ſacra, jure territorii competere principi jus  
 reformandi &c. v. p. 37. Negamus quoque cum  
 auctore p. cit. *Jurisdictionem ſacram ſemper innexam  
 fuiſſe poteſtati regiæ.* Imo quod plus eſt affirmamus  
 nunquam. Conſtat ex Deut. XVII. Ipſe rex æque  
 alligatur ad legem Moſaicam ac quilibet Iſraëlita,  
 Levita, Sacerdos, imo magis. Rex enim creatus  
 tenetur de novo ad deſcribendum legem & ſecum haben-  
 dum omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Domi-  
 num Deum ſuum & ſervare omnia verba legis hujus &  
 ſtatuta iſta, ut faciat ea. v. 18, 19. E. Reges Judæ  
 non habuerunt jurisdictionem ſacram, ſummam,  
 independentem. Facta legi contraria minime præ-  
 judicant. Jeroboamus peſſime in ſacris audit,  
 quod jus reformandi ſibi tribuerit. Alii contra le-  
 gem Dei agentes graviffime puniti ſunt. Nec erat  
 talis jurisdictione penes Moſem, multo minus Aaro-  
 nem, vel Synedrium. Non penes Moſem. Erat qui-  
 dem fidus ſervus, non tamen Dominus Heb. III:  
 5. Leges acceperat ex ore Dei & tulerat ad popu-  
 lum Lev. I: 1, 2. Num. VII: 87. Nequidem  
 casus*

51

19



casus dubios deciderat, sed proposuerat Deo decidendos. Num. XXXVI: 10. Lev. XXIV: 12, 13. *Multo minus penes Aaronem, Pontificem M. qui mortuus ante Mosem, qui vero solus cum Deo ore ad os locutus Num. XII. Leges & responsa divina reportaverat. Non etiam penes Synedrium, quod sub & cum Mose causas populi Israël juxta leges divinas cognoverat Num. XI: absque potestate dogmata, præcepta moralia, cultum essentialiter spectatum ferendi, ordinandi. Etiam ceremonialia expresse a Deo instituta, in minimis circumstantiis sancte erant observanda Deut. XII: 31. Quicquid præcipio vobis, id observabitis ad faciendum. Non addes iis, non etiam adimes de iis. Cæterum fatemur Synedrium M. (quod tamen non ex solo Clero constiterat, sed viris omnium tribuum) magnam habuisse potestatem circa explicationem legum, applicationem, extensionem vel etiam institutionem rituum nondum institutorum vel generatim tantum, quorum specialia libertati Ecclesiæ & præfectorum relicta erant, docentes in Cathedra Mosi audiri debuerant Matth. XXIII: 23. minime contra cathedram Mosaicam Matth. XV: 3-7. 9, 14. XXIII. passim. Si historiam V. Testamenti, speciatim Davidis, Salomonis, Josaphati, aliorum piorum regum legimus, reperimus plura circa sacra ordinasse. Duo priores ceu Prophetæ jussu divino. Josaphatus ex singulari pietate, de qua extat II. Chron. XIX: 8. quod העמיר constituerit ex Levitis & Sacerdotibus & capitibus patrum Israël למשפט יהוה PRO JUDICIO JEHOVÆ & v. 11. & ecce Amaria, Sacerdos primus super vos יהוה לכל רבר QUOAD OMNEM CAUSAM JEHOVÆ. Liquet hinc quam clarissime Josaphatum non solum ordinasse judices*

in causis civilibus, regiis, sed etiam in *causis Jehovæ*, Ecclesiasticis; his causis cognoscendis a rege præfectos fuisse non solum Levitas, Sacerdotes, sed etiam ex reliquis tribubus, Pontificem vero auctoritate regia constitutum esse præsidem. Hiskias, Josias templum & ejus functiones, monentibus Prophetis repurgarunt, reformarunt, idololatriam abrogarunt, sed quid inde? Neque Politicis hic quicquam feritur aut metitur. Multo minus Ecclesiæ Romanæ. De tali Nomothesia dependente *juxta verbum* nulla movetur quæstio. Minime ergo sequitur talia sub N. Testamento jure extendi ad jus territoriale, singulis principibus competere jus auctoritativum coactivum circa res fidei, morum reformandi, quale everteret totam Nomothesiam Christi, ut sæpius dictum. Miror etiam Nomothesiam Romanam Pontifici tribuere summum jus circa sacra, potestatem insuper in reges terræ, eos confirmandi, excommunicandi, de throno deiciendi, leges, quæ civilia concernunt, ferendi: Attamen fervide denegare Magistratui pio jus circa sacra. Si Papa jure est Cæsar, (imo Cæsare major) quare Cæsar non etiam Papa. Est contradictio. Si Papa Cæsar, tum etiam Cæsar Papa. Si Cæsar religionem Christianam vere intelligit, aptus est ad dicendum; quare prohibendus a concionibus dicendis? Salomon rex prolixiore concione consecravit templum 1. Reg. VIII. Profecto qui sapientiam a Deo accepit, recte eam aliis communicat pro concione dicendo. Vel quare princeps eximendus vel spiritualis, politicus? Sapientia divina facit concionatorem; Non manus Episcopi. Modo observetur *ἐπιταγή*.

*Nihil*



*Nihil restat, quam ut spe meliorum temporum declarata & voto pro pace fuso labori finem imponam. Quæ enim auctor ex patribus, imperatoribus, modestioribus heterodoxis pro regimine hierarchico Romano sparsim citat, speciatim a p. 45. &c. ad rem nostram nihil faciunt. Illa Nomothesia Christiana vere & unice valet, quam Dominus in Sacris reliquit, non alia, ut supra plenius probatum. Si testimonia hominum, patrum & imperatorum, cum Scriptura conveniunt, bene se habent. Vis probandi tamen non fundata est in auctoritate humana, sed in auctoritate Dei loquentis. Illa respective tantum probant, quando cum hac conspirant. Si vero testimonia humana contrariantur, omni robore probandi carent. Historice vera, haud raro Theologice, exegetice falsa sunt. Valet & in hoc examine & non erat conveniens testimonium illorum Marc. XIV: 59. Historici, quibus tempus & bibliotheca patristica copiose suppetit, proferunt testimonia pro & contra. Ipse auctor disert. memorat patres, imperatores, qui videntur causam regiminis Romani agere, sed & ipse ex Pfaffio allegat, qui contradicunt, Clementem, Chrysostomum, Ambrosium p. 47. 50. Imperatores quoque Flavium Valentinianum, Martianum, Anastasium, Constantinum, Justinianum, Carolum M. Ottonem & alios p. 30-33. Quam vim habent ejusmodi testimonia humana ad contrarium probandum apta? Plura, quæ in medium prolata prorsus non juvant regimen Ecclesiæ Romanæ, quale ponitur esse penes solum Pontificem Romanum, summum, independens, mundanum, coactivum, a cujus decisione simpliciter dependere debent Clerici & laici. Concedimus, imo quod plus est, probavimus, Ecclesiæ*

fiæ Christianæ, Apostolis, Episcopis, Presbyteris competere regimen, sed cœleste, spirituale, consistens in virtute Spiritus S. demonstratione verbi ad conscientiam. Præfictis in Christo omnem honorem esse exhibendum. Testimonia Patrum, quæ hæc & similia continent, non sunt contra nos. Hoc ipsum enim affirmamus. Talia plura ex citatis sunt. Magnifica sunt quæ Ignatius reliquit de *Episcopis, Presbyteris, Diaconis in Epist. ad Smyrnæos* p. 7. & p. 37. in *Epist. ad Magnesianos in Edit. Basil.* A. 1742. Posito etiam, quod plures alii negant, Epistolas has genuinas esse, quid pro regimine Ecclesiæ Romanæ? Episcopi, Presbyteri, Diaconi cujuscunque particularis Ecclesiæ hanc habent auctoritatem ex mente Ignatii. Sed, ut dixi, campus regimen Ecclesiæ Christianæ per testimonia hominum, patrum & imperatorum probandi est amplissimus sine limitibus, inutilis [historia per se hac in quæstione nihil probat, quod ad summam rei spectat] qui in contraria exit.

*Spem haberem, si Christiani in tristes & hostiles sectas dissecti Νομοθεσιῶν, quam Servator in Sacris Literis reliquit observarent, Filii pacis in iis magis & magis ad amicitiam redirent ac tollerentur gravissima mala, quæ nunc grassantur.* Spes hæc, ut judico, fundamentis non caret. Bene novi, quod status Christianismi, ut hodie est, potius vergat ad majorem discordiam, quam concordiam. Imo confidenter dico: Si quæque Ecclesia pro regimine suo tanquam pro ara constans & fervide certat, contentiones & quæ conjuncta sunt mala, immortalia erunt ac terribiliter crescent. Sed non habent sectæ, quæ dissentiant, solidas opinionum rationes, *μία ἀλή-*



*Sic*: una pars vel forsan ne quidem una in omnibus & singulis quæstionibus spectata vera tradit. Quæ dissentiant a veritate, cognoscentur tandem falsa: furores, tumultus, in causa quidem sunt ut falsa, vera; mala, bona habeantur. Sed tumultu sedato, quod verum, bonum a falso, malo facile dignoscitur. Spes est tanto major, quia sectæ Christianæ in eo communiter conveniunt, Nomothesium illam esse vere christianam, quam reliquit Servator in S. Literis. Modo igitur Sacræ Literæ absque studio partium in timore Dei legantur, perpendantur atque ex iis articuli religionis christianæ formentur. Non sine ratione possemus sperare consensum, si non statim omnem, saltem quemdam. Qui nunc obloquuntur ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς confusi Deum laudabunt & veritati victas dabunt manus. 1. Pet. II: 12. Accedit insignis promissio prophetica Zach. XIV: 9. *Et erit Dominus Rex super omnem terram. In die illa erit Dominus unus & erit nomen ejus unum.* Et quare non? An major lux erroris quam veritatis. Non judico. Vel an Deus non potest, vel an non vult, ut tandem triumphet veritas, pietas. Omnino potest & vult. Est Deus veritatis & pietatis.

XVII. *Deus veritatis & pacis, pacem per sanguinem Filii sui Jesu Christi partam virtute Spiritus S. juxta Evangelium pacis nobis donet! Amen!*

SAMUE-